

talia non apparerent, & jam grandior natu esset, nempe si supra 35 annum ætatem ageret (usque ad hunc enim terminum tabidos fieri à 18 incipientes, voluit Hipp. 5. Aphor. 9. & ibi Gal.) tunc teneretur; quamquam æger conjunx concupiscentie pœnas lueret, cum coitus Tabidis maxime sit noxius.

Restat denique, ut decidatur, quid de morbo Gallico dicendum sit, de eo enim majus dubium esse posset: nam etiam si levis esset, quia tamen qui liber vel minimus fomes sufficit ad concipiendum magnum morbum, & potest ex levi contagio sanus conjunx maxime affici, ut dixi, idcirco videretur, quod, quotiescunque de morbo Gallico certitudo habetur, non teneatur sanus conjunx reddere debitum ægrotanti. dicendum tum ea ratione non obstante, quod ubi levis morbus est, sanus teneatur ad redditionem debiti, contra vero ubi imminet notabile infectionis periculum. Barbof. in coll. DD. lib. 26 4. tit. 8. cap. 2. num. 3. tit. 2. Circa id sciendum, quod infectio ex morbo Gallico aut non pertransit pudendas partes, & eis proximas, aut penitiora penetrat, & ad Hepar pervenit inficiens illud contagio, quod cum sit officina sanguinis, inficitur toto sanguinis massa, & sic morbus universo corpori communicatur. in priori ergo casu apparente ulcuscula in pudendis, aut virulenta gonorrhœa, & alia symptomata his non dissimilia, in posteriori apparent bubones primum, dolores in universo corpore, ulcera maligna, depilatio, raucedo, & alia. His sic se habentibus, dicendum, vigente morbo quocumque semper imminere periculum infectionis, & idcirco nunquam, vigente morbo, teneri sanum ad redditionem debiti; morbo remisso, si fuerit levis, omnino teneri, si fuerit gravis, distinguendum, nam aut omnino morbi reliquæ omnes sunt extirpatæ, aut adhuc remanent: si sint extirpatæ, teneri, si aliquæ remaneant, non teneri, cum per has infici possit sanus.

Tituli Tertii finis.



PAV-

Sed quid dicendum, si alter Conjugum commercium haberet cum persona morbo Gallico infecta, an teneretur alter reddere debitum ob infectionis timorem? Ratio dubitandi est, quia notissimum habemus, & testantur auctores de morbo Gallico, evenire ut aliquis cum persona infecta coitum exerceat, neque tamen inficiatur, & hoc non obstante, cum alia persona non infecta hic idem congregiens eam inficiat; quod non ita infrequens est, & tam morbi hujus peculiare, ut in aliis etiam morbis contagiosis non eveniat: nam in peste idem fieri probat Septal. lib. 2. de pest. cap. 11. hoc fit, quia tunc hi habent rationem fomitis, suscipiunt enim in cute extrema seminaria morbi, absque eo quod ad interiora penetrent; sic ipsi sani permanentes, cum aliis congregientes eos inficiunt.

Dicendum ergo in hoc casu, quod si alter conjugum cum persona maxime infecta commercium habeat, timendum esset alteri conjugi de notabili periculo, & infectione, cujus respectu credo quod per Canonistas (quibus non hæc solum sed quæcumque ubi ubi dixi ad ipsos pertinentia, decidenda relinquere ei debitum denegare. Quod si ob adulterium id locum non haberet, nimirum quod liceat ob illud denegare debitum, liceret ex hoc capite, ut dixi.

Vltimo loco de contagioso morbo videndum, quando impedire possit professionem, & quando professionem jam factam reddat nullam, si, qui facit professionem, nihil de tali morbo enunciauerit; ita enim volunt Doctores, Ricc. collect. Decif. 530. In hoc casu dicendum videtur idem quod de superioribus; nempe inspiciendum esse, an morbus magnus sit, & incurabilis, vel contra: censendum enim, quod, si sit curabilis, aut non ita gravis, ut maxima secum afferat incommoda aut notabilem turpitudinem, neque impediatur professionem, neque jam factam reddere possit nullam.

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani

QVÆSTIONES
MEDICO-LEGALES.

Liber Quartus,

CONTINENS

TITVLOS DVOS,

quorum

Primus est de Miraculis.
Secundus de Virginitate & Stupro.

Lib. IV.

ij. R

Illustriss.

Illustrissimo, ac Reverendissimo D. D.
CÆSARI MONTIO,
 VTRIVSQUE SIGNATURÆ
 REFERENDARIO,
 ET NEAPOLIS
 NUNTIO APOSTOLICO
 DIGNISSIMO,
 Paulus Zacchias F.

Anta est virtutis energia in irretiendis hominum animis, ut etiam rudes, & omni pæne sensu orbati, ejus vim experiantur. Ego illam Magneti assimilo, quod non secus ac Magneticus lapis inerte ac rude ferrum, ipsa ad se humanos animos attrahat atque alliciat. Hanc de te ipso, Vir illustrissime, in præsentem experientiam capio, quem non modo ab omnibus amari sentio, sed in me ipso jam pridem id ipsum expertus sum, cum etiam mihi de facie ignotus, fama tamen tuarum virtutum notissimus, arctissimo amoris vinculo me tibi conjunxisti. mox ad te maximo meo eufortunio admissus, ejusdem amoris, & servitutis vincula conduplicari sensi in cujus testimonium cum quartum librum mearum Quæstionum Medico-Legalium excudendum pararem, Illustrissimo tuo nomini eum inscribere decrevi. hoc unum autem hac Epistola testatus, reliqua silentio prætereunda mihi proposui; neque enim locus hic opportunus mihi offertur, ut avorum, proavorumque tuorum gloriam, & facta enarrem, aut fratris tui viri clarissimi honores concelebrem. quin etiam minime oportune factum censui, si tuas ipsius laudes, & merita hic pauculis verbis perstringere tentassem; quæ enim ego te tot munia tanta cum tui nominis gloria sub tribus summis Pontificibus obeuntem, utriusque Signaturæ addictum, inter sacræ Consultæ proceres adnumeratum, Patribus Sanctæ Congregationis de Propaganda Fide adscriptum, Sacræ Inquisitionis tribunali præfectum, & Nuntium Apostolicum, denique Neapolim missum ad majora non à Sanctiss. D. N. tantum, sed ab ipso D. O. M. destinatum, inculta verborum serie, ac parcius multo, quam ipsa enarrationis dignitas exposceret, laudavero? Patere igitur me de te ea silere, de quibus sufficienter loqui non licet, & hæc mea scripta, quæ nunc primum lucem aspiciunt, tuo Illustrissimo nomine munita exire assentiare: spero enim me de miraculis agentem, ejus nominis tutela miracula facturum, detrectantium impetum omnem obtundendo, ac coercendo, malevolorumque animos mihi benevolos reddendo, quæ quidem miraculi naturam redolent. interimque me sub tua clientela, cui jam pridem addictus sum, fovere non desinas. Vale.

PAVLI

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI QVARTI

TITVLVS PRIMVS

De Miraculis,

Continens Quæstiones undecim;

quarum

I. <i>Quid sit Miraculum.</i>	Pag. 197
II. <i>De variis Miraculorum generibus.</i>	199
III. <i>De conditionibus effectus Miraculosi.</i>	200
IV. <i>Vera Miracula cur raro fiant, multa tamen, & frequenter facta celebrentur.</i>	203
V. <i>De Propbetia, seu rerum futurarum prædictione, occultarumque cognitione.</i>	204
VI. <i>De Ecstasi, & Rapto.</i>	212
VII. <i>De longo jejunio.</i>	215
VIII. <i>De Miraculosa infirmorum sanatione.</i>	223
IX. <i>De Morte miraculosa, & de morbis divinitus immisis.</i>	235
X. <i>De cadaverum incorruptibilitate, & aliis nonnullis ad ea pertinentibus.</i>	237
XI. <i>De Mortuorum Resurrectione.</i>	243

ij. R 2

LI-

LIBRI QVARTI
TITVLVS PRIMVS,

De Miraculis.

S V M M A R I V M.

- 1 Homini à Natura infra quaedam propensio ad Religionem est.
- 2 Christiana Religio in nullare patitur fideles suos decipi.
- 3 Neminem pro sancto venerari licet absque Ecclesie auctoritate.
- 4 Nulli licet nova miracula publicare.
- 5 Mali etiam homines, & ipsi Demones miracula interdum faciunt. Declaratur num. seq.
- 7 Miracula facere est gratia gratis data, quæ cum peccato stare potest.
- 8 Cui etiam per Malos, aut Demones aliquando Deus miracula operetur.
- 9 Idiote pro miraculis existimant ea, quæ de raro eveniunt.
- 10 Non est semper ac statim miraculis credendum.
- 11 Ad alicujus Canonizationem duo maxime requiruntur.
- 12 Miracula in persona canonizanda debent etiam post mortem facta probari.
- 13 Miracula post mortem mali non faciunt, sed solum sancti.
- 14 Absque miraculis in vita factis potest quis canonizari, non autem absque miraculis factis post mortem.
- 15 Naturalis effectus quid.
- 16 Miraculum quid. & num. seq.
- 18 Miraculum unde dicatur.
- 19 Non quicquid divina virtute fit, miraculum est.
- 20 Multa miracula non videntur ultra Nature potentiam sese extendere.
- 21 Miraculorum aliud simpliciter tale, aliud secundum quid.
- 22 Quid sit miraculum simpliciter, quid item miraculum secundum quid. & num. seq.

Quid sit Miraculum.

Q V Æ S T I O I.

Lamets argumentum hoc de Miraculis à Legali materia tantisper recedere videatur, ita ut quasi per vim inter has quæstiones Medico-Legales dictas intrusum videri possit, tamen quia non magis civiles materias, quam Canonicas pertractare decrevi, cum hæc absque dubio ad canonicas pertineat, potest non immerito inter cæteras connumerari, quæ nostri operis intentum pertinere videntur.

Quoniam ergo homini insita quædam propensio ad Religionem à Natura est, ut elicitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 81. art. 2. ad 3. Medic. de mirab. oper. Dei lib. 1. quæst. 21. ita ut ipsemet humanus animus à nullo edoctus superiorem quandam causam agnoscat, à qua & proprium suum ipsius esse,

& vitam, & quodcumque boni habet, emanet, & ea de re hanc esse unice colendam, ac summo honore prosequendam vel nullo admonente, aut inueniente, sed sola naturali quadam pietate eruditus existimat, hinc fit, quod ubi qualiscunque Religio tanquam falsa quædam Magistra, arcana, quæ non novit, detegens accedit, facillime quæcumque illa dicat, etiam ab omni veritate aliena, pro veris acceptat, summumque nefas autumat ab illis vel latum unguem recedere. Quam detestanda autem ea credulitas, quæ ex falsa Religione viget, existat, ipsa luce meridiana clarius est. Verumenimvero Christiana Religio unica veritatis magistra, quemadmodum omnia ab ipsomet Veritatis Verbo emanantia fideles suos edocet, sic non patitur illos in iis, in quibus hominem errare facile est, ullo modo decipi. cum igitur contingat interdum quædam opera vel Dæmonis virtute, vel Nature etiam vi, immo & supernaturalis causæ auxilio, & consensu à quibusdam fieri, quæ aut vere miracula sunt, aut talia nobis videntur, ob quorum operum evidentiam illi minime sibi debitum sanctitatis, ac Servorum Dei nomen usurpant, unde cæteri illos ut tales debito honore venerantur, idcirco sancta Mater Ecclesia neque aliquem sine ejus auctoritate pro sancto venerari nos jubet, etiam si opera miraculosa faceret, cap. Andromus de Observat. Iejun. Barbof. de offic. & potest. Episc. allegat. 97. par. 3. num. 1. neque alicui licere voluit nova miracula publicare. Ricc. in 4. prax. Episc. resp. 485. num. 1. Roderic. Quæst. Canoniz. Sanct. cap. 9. sed ad ipsam utrunque omnino decernere pertinere voluit. Et ratio prioris est, quia etiam mali homines, & ipsi Dæmones miracula faciunt, Favet illud Mart. cap. 7. Nonne in nominis tuo multas virtutes fecimus? Glos. in cap. Venerabilis de Testib. & ibi Abb. & Felin. in princ. ead. Glos. in cap. Andromus de Reliq. & Vener. Sanct. D. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 2. Troyl. Malvit. de Canoniz. Sanct. dub. 3. num. 3. Mascard. de Probat. concl. 262. num. 60. volum. 1. Medic. de mirab. operib. Dei lib. 1. quæst. 18. & ex nostris Thom. Erast. in disput. contra Paracels. par. 1. quod quidem non ita solum accipiendum, quod mali homines, ac Dæmones faciant opera, quæ miraculosa videantur, cum tamen talia non sint; sed quod etiam vera miracula operentur, non tamen ullus eorum ex se, sed ipsa divina virtute, ita Deo volente. Rocca de Canoniz. Sanct. cap. 10. quia miracula facere est gratia gratis data. D. Thom. 2. 2. quæst. 178. art. 1. quæ gratia cum peccato stare potest. Medic. ubi supra quæst. 21. & adducti per Roccam ibidem. quare & Balaam, & Saul, & Sibyllæ, & Caiphas prophetarunt, & alii non boni alia miracula fecerunt, immo hæc gratia, ut aliqui putant, transit aliquando de generatione in generationem per totum genus descendendum, Malvit. de Canoniz. Sanct. citato dub. 3. num. 24. & vide multa hujusmodi exempla apud Henric. Komman. de mirac. vivor. tit. de hereticis. R 3